DE AUGMENTO APUD HOMERUM OMISSO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

KONRADUS KOCH

BRUNSVICENSIS.

BRUNSVICI

TYPIS JOHANNIS HENRICI MEYERI.

MDCCCLXVIII.

Godefredus Hermannus in praefatione ad Euripidis Bacchas, in qua egit de augmento in trimetris tragicis abiecto, dixit pg. VIII.: „Illud omnino concedendum est, non esse augmentum in eis rebus numerandum, quae prouti commodum videretur nunc usurpari nunc negligi solita fuerint, sed si sit aliquando neglectum non esse id temere et sine idonea ratione factum.“ Quamquam Hermannum hoc loco augmenti in lingua Attica abiectionem potissimum respexisse apparet, tamen, si quod in universum dixit, valere in omnes partes voluit, nihilominus optimo iure eum hoc affirmavisse nemo negabit. Atque profecto mirum est, quod in Jonum dialecto saepissime, ubi nulla causa perspici potest, augmentum modo omittitur modo additur. At cum Hermanno contigerit, ut augmenti in Atticorum dialecto omittendi rationem inveniret, recte conicere possumus in Jonica quoque lingua certis tantum condicionibus abiectum esse augmentum et sperare, fore ut eae aliquando reperiantur; saltem periclitandum est, quid tandem de hac re possit constitui. Itaque cum ex recentioribus neminem accuratius viderem egisse de re certe digna, quae tractaretur, adductus sum, ut quid reperire possem, conarer. Ab Homero autem eiusque lingua in eiusmodi quaestionibus semper proficiscendum esse ratus nunc id primum mihi proposui, ut de augmento in illius carminibus omisso dissererem.

Huius autem disputationis difficultates, in quas saepissime incurrebam, paene me a consilio deterruerunt; quin etiam

cum ex parte ea praesentirem, rem omnino aggredi non ausus essem, nisi novi adiumenti, quo nemo adhuc in hac re usus est, ad eam adhibendi potestas data esset. Cum enim omnibus, qui hac aetate in Homerica lingua perscrutanda versantur, maximo iam usui fuisse observarem, grammaticae quam dicunt comparativae notitiam, minime mihi hanc doctrinam negligendam esse putavi, immo ita agendum, ut omnium, quae ex illa de augmento eiusque natura cognoscere possem, accuratissime rationem haberem. Hoc subsidio usus praeter expectationem contigit mihi, ut invenirem aliquid, quod minus erat adhuc observatum. Tam autem amplam rem totam absolvere me posse diffisus certos fines terminosque, extra quos nolo egredi, mihi constitui. De his autem infra dicendi locus erit: hic eorum mentionem eo consilio facio, ne quod temere tantam rem accesserim, crimini mihi detur.

Ita rem instituendam esse puto, ut priusquam ad ipsam accedam, paucis exponam, quae sit augmenti natura. Namque si augmentum ita comparatum est, ut arbitratu suo poeta modo addere modo abicere potuerit, operam frustra consumeremus, si rationem omittendi investigaremus. Si vero Hermanno credendum esse et augmenti adiectionem et detractionem minime in libidine poetae positam esse potuisse quaestio de eius natura instituta docet, cogimur exquirere, num sicuti Hermannus non temere et sine ratione a tragicis id omissum esse repperit, ita leges quasdam de eius abiectione apud Homerum possint deprehendi.

Primum igitur de natura augmenti expositiri sumus.

I. DE NATURA AUGMENTI.

Veterum grammaticorum, quae sit de augmento omisso doctrina, Fischerus exposuit in Animadverss. ad Velleri gramm. graec. II, 277; hoc loco recte ille ex testimoniis, quae exstant,[1]) collegit eos docuisse: antiquissimam linguam Graecorum — quam Ionicam esse putabant — augmento fere caruisse, sed paullatim Iones eo uti coepisse frequentius. Certe si quod illi voluerunt, recte se haberet, minus de eo dicendum esset, quam ob rem Iones augmentum omisissent, sed potius exquirendum, qua de causa addidissent. Sed quanquam concedendum est, hoc subtiliter illos sibi excogitavisse, tamen e comparatione reliquarum quae dicuntur Indogermanicarum linguarum eos errasse intellegitur. Nam cum in antiquissimis linguis, Indorum, veterum Persarum, Graecorum videamus augmentum inveniri et in aliis ut in Latinorum, Slavonum exstare vestigia, e quibus in eis quoque illud in usu fuisse apparet, alio modo de hac re iudicandum est: quae enim his populis cunctis communia aut esse animadvertimus, aut olim fuisse efficere possumus, ea orta esse debent, anteaquam Indogermanici populi inter se discesserant. Sequitur igitur, augmentum non demum in Ionica lingua ortum, sed antiquius esse atque ex veterrima aetate servatum. Illud igitur quod veteres de augmenti origine statuerunt, reiciendum est, atque ad exquirendas recentiorum grammaticorum de augmenti

1) Cfr. Eustath. ad Odyss. η p. 1575, 3. Phavorinus s. v. ἀήθεσσον.

natura sententias transire possumus. Quae ut recte expediri possint, paullo altius mihi repetendum est; cum enim augmentum nusquam nisi in nonnullis verbi temporum formis inveniatur, si quae vis ei sit insita, cognoscere volumus, ante omnia temporum illorum natura accuratius definienda est. De his igitur primum quaerendum esse arbitror; tum exponam, quae vis in eis attribuenda sit augmento, denique quae ita de abiectione augmenti possint constitui, demonstrabo.

CAPUT I.

DE TEMPORIBUS VERBI, QUORUM FORMAE AUGMENTO SUNT INSTRUCTAE.

Augmentum invenimus in Imperfectis, Aoristis, Plusquamperfectis; quorum natura ita optime definiri potest, ut ostendatur et quibus rebus inter se differant illa et quibus conveniant. Quae eis sint communia, iam ille intellexit, qui eis primus imposuit nomen praeteritorum. In veterrima autem illa grammatica linguae Graecae, quam a Dionysio Thrace, Aristarchi discipulo confectam esse tradunt, hoc nomine primum videmus illa appellata esse. Dionysii enim verba exstant haec in Bekkeri anecdott. pg. 638: *χρόνοι δὲ τρεῖς ἐνεστὼς, παρεληλυθὼς, μέλλων. Τούτων ὁ παρεληλυθὼς ἔχει διαφορὰς τέσσαρας, παρατατικὸν, παρακείμενον, ὑπερσυντελικὸν, ἀόριστον.* Hoc loco autem in praeteritorum (— *διαφορῶν παρεληλυθότος* —) numerum etiam *παρακείμενον* i. e. perfectum receptum est. Atque cum in ceteris, tum in hac re Dionysium tamquam signiferum plurimi et remotioris et recentioris aetatis grammatici usque ad Philippum Buttmann [2]) secuti sunt. Primum igitur de eo agendum, num recte ab illis perfectum praeteritis adnume-

2) Gramm. graec. ampl. ed. II. §. 18, 6. ad not.

retur, necne. Sic enim et quae sit omnium praeteritorum natura, melius perspici potest, et quae plusquamperfecti sit vis definitur.

At iam eodem fere tempore, quo Alexandrini illam doctrinam conficiebant, rectius quid de perfecto esset indicandum Stoici docuerunt philosophi. De eorum doctrina temporum habemus testimonium Stephani scholiastae ad. Dionys. Thr. gramm. (in Bekkeri Anecdott. pg. 891): *Τὸν ἐνεστῶτα οἱ Στωϊκοὶ ἐνεστῶτα παρατατικὸν ὁρίζονται· τὸν δὲ παρατατικὸν παρ' ἡμῖν παρῳχημένον παρατατικόν; ὁ δὲ παρακείμενος ἐνεστὼς συντελικός, τούτου δὲ παρῳχημένος ὁ ὑπερσυντέλικος.* Idem fere Priscianus refert (pg. 813 ed. Putsch); nisi quod *τελείου* vocabulo pro *συντελικοῦ* usos esse Stoicos tradit. Hi igitur perfectum esse *ἐνεστῶτα χρόνον* i. e. praesens voluerunt. Paucis tantum grammaticis eorum opinio placuit, sed eis, quos maxime respicere debemus, e veteribus M. Terentio Varroni, qui eorum doctrinam eo amplificavit, quod Romanorum futura in perfecta et infecta divisit; e recentioribus affero Guilelmum Grocinum Anglum, cuius de arte grammatica liber fere videtur amissus esse. Post eum Stoicorum sententiam defenderunt Frider. Volfgangus Reiz in egregio illo libello de verbi Graeci et Latini temporibus et modis ann. 1766 edito et Jacobus Harrisius, cuius de grammatica quam dicunt universali librum iam ann. 1751 scriptum nostrates grammatici demum ann. 1788 ex versione Godofredi Everbeckii cognoverunt. Hoc vero saeculo eis exstitit fautor, cuius assensio plurimi aestimanda est, Guilelmus ab Humboldt, qui eorum doctrinam collaudavit commendavitque in Opp. coll. VI. 268.

Reliquis quidem linguis Indogermanorum comparatis res ita fere se habere videtur, quemadmodum Alexandrini eorumque cohors voluerunt; nam in linguis et Indorum et Germanorum illa verbi forma, quae apud eos respondet perfecto Graeco, fere notionem habet aoristi Graeci atque praeteritis adnumeranda est. Latinorum autem perfecto duplicem vim contineri constat, alteram praeteriti alteram praesentis

speciem prae se ferentes, quarum illa praevalet. Attamen Franciscus Bopp non dubitavit contendere non solum in Graecorum, sed in omnibus linguis Indogermanicis, illam perfecti vim, propter quam praeteritum id esse plerique opinabantur, non esse veterem et genuinam, atque si temporis tantum ratio haberetur, perfectum non a praesenti differre docuit (Gramm. Comp. II. 387). Hoc ut demonstraret, duobus praesertim usus est argumentis e formatione perfecti sumptis, uno, quod eisdem fere terminationibus instructum est, ac praesens, altero, quod e reduplicationis natura intellegitur tempus actionis alicuius ea indicari nequire, actionem autem ea significari ut corroboratam. K. W. L. Heyse, qui eum sequitur, in praeclaro illo libro, qui inscribitur „System der Sprachwissenschaft,“ copiose de hac re disputavit pg. 457 seqq. Ad ea, quae ibi protulit vir doctus, nihil habeo, quod addam. Id quoque explicat ille quemadmodum e propria perfecti vi i. e. e notione actionis corroboratae evadere potuerit actionis perfectae notio. Apponam pauca eius verba, quibus brevissime colligit et comprehendit universam rem: pg. 458 dicit: „die reduplication (in perfecti forma) drückt nie vergangenheit aus, sondern ursprünglich, wie schon in der bildung selbstständiger stämme, wiederholung, dann intensive verstärkung oder steigerung des begriffs, daher das vollendete, gewordne im gegensatze zu dem im werden begriffnen.“ [3]) Quam proclivis autem ex hac perfecti significatione transitus fuerit ad eam, quae in reliquis linguis perfecto insita est, i. e. praeteriti, quisque intelliget; nonne enim actio, quam perfectam dicimus, iam eo temporis quo loquimur momento videtur praeteriisse?

---

3) Similiter Boppius et Curtius iam ante Heysium de hac re exposuerunt; ille in Gramm. Comp. II. 387: die reduplicationssilbe — inquit — bezweckt blos eine steigerung des begriffs, giebt der wurzel einen nachdruck, der von dem sprachgeist als typus des gewordnen, vollendeten im gegensatz zu dem erst im werden begriffnen, noch nicht zum ziele gelangten aufgefasst wird. lautlich und auch geistig ist das perfect mit dem sanscr. Intensivum verwandt. cfr. etiam Curtius. Tempp. et Modi 172. Erläuterungen pg. 102.

Eundem transitum in Graeca quoque lingua exstare facile demonstrari potest. Apud Homerum enim perfectum nunquam praeteriti vices suscipere semperque propriam et genuinam vim retinere apud omnes fere constat. Interdum quidem III. personn. singul. ind. perfect. nonnullorum verborum ut *γέγωνε, ἄνωγε* et all. (cfr. Krueger dial. graec. §. 53. 3, 4.) aoristi locum obtinere videntur; sed iam Phil. Buttmannus ea non esse perfecta sed imperfecta vel aoristos e perfecti stirpe formata intellexit.[4]) Eodem modo perfectum, atque apud Homerum etiam apud Atticos et all. usurpatur; contra autem apud scriptores post Alexandri Magni aetatem saepissime perfecta pro aoristis usurpata esse Bernhardius recte observavit.[5]) Atque cum ita effectum esset, ut vix perfectum ab aoristo usu distingueretur, illud paullatim prorsus interiit, ita ut hodie Graeci eo careant, quod Mullachius exposuit in Gramm. ling. Graec. vulgar. pg. 69. Nemo vero harum rerum paullo eruditior mirabitur, quod primis linguae temporibus perfectum praesentis temporis vi indutum fuisse, postea autem paullatim in idem praeteriti notionem irrepsisse animadvertimus. Nam ut omnia, sic linguam eiusque partes tempore procedente mutari quis dubitet?[6])

Nunc illam veterem controversiam, quae Stoicis de perfecti vi erat cum Alexandrinis, cum bona gratia componere liceat. Utraque pars causam obtinet: si veterem enim Graecorum linguam spectamus, Stoicis assentiendum est, sed etiam Dionysium Thracem, quippe qui non Homericae vel Atticae dialecti, sed eius linguae, qua ea aetate utebantur Graeci, grammaticam conficere sibi proposuerit, suo iure perfectum in numerum *διαφορῶν παρεληλυθότος* recepisse non nega-

---

4) Recte ille dixit in Lexilog. ed. I., 268: Weil nämlich diese perfecte so ganz praesentia der bedeutung nach sind, so fieng man auch an imperfect oder aorist auf *ον* unmittelbar davon zu bilden.

5) Wissenschaftliche syntax der griechischen sprache pg. 379.

6) cfr. quae de significationum mutatione Georgius Curtius exposuit in libello, quem inscripsit: zur chronologie der indogermanischen sprachforschung pg. 10.

bimus. Praeferenda vero Stoicorum opinio, si propriam perfecti vim definire volumus; scilicet, quod apud Homerum omnesque veteres Graecorum scriptores et Atticae et aliarum dialectorum invenitur, antiquius est, quam id quod reperitur in Alexandrinorum lingua. [7])

Perfecti vi iam satis explicata de plusquamperfecto fusius disserere supersedeo. Stoici recte id appellaverunt *παρῳχημένον συντελικόν*: sed perfecti usu mutato cum et illud aliam notionem recepisset, Alexandrini novam invenire cogebantur appellationem. Tunc aptissimum ei nomen dederunt *ὑπερσυντελίκον*, quod Julius Caesar Scaliger recte maluit verti: transperfectum. Similiter apud Latinos M. Terentius Varro veteris Latini sermonis peritissimus cum propriam huius temporis significationem perspexisset, nomine praeteriti perfecti nuncupavit: posteriores autem grammatici, quia quod ille praesens actionis perfectae appellaverat id fungi praeteriti munere animadvertebant, ideoque praeteritum perfectum vocabant, a Graecis transtulerunt — illud *ὑπερσυντέλικος* minus recte vertentes — nomen plusquamperfecti.

Aoristi et Imperfecti natura, ad quam explicandam nunc accedimus, ita optime exponi potest, ut ea inter se comparentur. Accuratius de eis disserere difficillimum est, quia praesertim de aoristo magna grammaticorum est dissensio. Hoc loco autem, quae sit eorum vis, copiose expediatur non necesse est; quamvis enim de aoristi natura eiusque vario usu grammatici quam maxime discrepent, in hoc uno plurimi consentiunt, ut aoristo brevitatem quandam ac celeritatem, imperfecto autem diuturnitatem actionis significari dicant. Hoc modo ea revera in universum inter se differre eo magis putemus oportet, quod grammatica comparativa idem fere docet. Itaque summatim tantum hanc rem attingam.

---

7) Quod Quintilianus in institutt. oratt. X. 1, 46 dicit: „Igitur ut Aratus ab Jove, incipiendum putat ita nos rite coepturi ab Homero videmur“, id in arte grammatica quoque valet; nam a veterrima lingua — quae apud Graecos Homerica est — in huiusmodi quaestionibus semper proficiscendum est.

Imperfecti quidem naturam Stoici iam recte ostenderunt, qui id *παρῳχημένον παρατατικόν* appellabant. Varro hoc vertit praeteritum infectum; si autem uti mavis vocabulo imperfecti, id caveas, ne hoc nomine iam propriam vim huius temporis designari putes: opponitur enim recte a Stoicis praesens imperfectum praeterito imperfecto, quia in utroque et in praesenti et in imperfecto, quae nos dicimus, temporibus actio infecta seu imperfecta insita est. Ille usus, ex quo nomen imperfecti cepit, qui inprimis in enuntiationibus secundariis cernitur, tum demum ortum est, cum parataxis enuntiationum hypotaxi magis magisque superata erat; apud Homerum, ubi hanc quasi nascentem et orientem videmus, retinuit hoc tempus proprium usum.

Quod denique ad aoristum attinet, cuius formas Stoici nondum e ceteris secernere potuisse videntur, iam Alexandrini eum praeteritis adnumerandum esse observaverunt. De eius autem natura quaestionem instituere difficilius est, quia non exstat praesens, quod huic praeterito opponamus. Ille qui dicitur aoristus primus prorsus seponendus est, ut qui posteriore quam secundus aetate ortus alterius prorsus acceperit significationem: quod Buttmannus iam vidit, a Georgio Curtio autem primo certis argumentis probatum est.[8]) Ab eis igitur aoristis proficiscendum est, qui dicuntur secundi, quamquam prius sunt orti. Quos, si quidem praeterita sunt, e praesentibus ortos esse concludendum est; v. c. *ἔβην, ἐφθάμην, ἔλιπον, ἐγενόμην* praeterita e praesentibus *βῆμι, φθάμαι, λίπω, γένομαι* ficta esse apparet; si enim formationem spectas minime illa differunt ab imperfectorum formis ut *ἔφην, ἐκείμην, ἔλεγον, ἐλεγόμην*, quibus praesentia respondere videmus *φημί, κεῖμαι, λέγω, λέγομαι.* In proclivi autem est conicere illorum aoristorum praesentia olim quidem usurpata fuisse, postea autem amissa esse. Atque Curtius nuper demonstravit, illa praesentia revera olim in usu fuisse, addiditque causam, ex qua cur non essent servata intellegeretur. (cfr. Zur Chronologie

8) Zur Chronologie d. indogerman. sprachforschung pg. 53.

d. indogerm. sprachw. pg. 50.) Recte igitur Boppius mihi videtur docuisse, non ita aoristum et imperfectum proprie inter se differre, ut diversa sint tempora — utrumque enim nihil aliud est ac praeteritum — sed ita ut ille ex brevioris stirpis forma, hoc e longioris variisque additamentis auctae formata sint. Differentia autem usus apte respondet discrimini formae, nam aoristo, quia e brevioris stirpis forma duxit originem, recte indicari actionem brevi absolutam, imperfectum autem propter formae pondus et maiorem gravitatem ad diutius durantis actionis vim significandam aptissimum fuisse Boppius optime exposuit. (Gramm. Comp. II, 388.)

Ex eis, quae protulimus, elucere puto, tria tantum esse tempora praeterita, imperfectum, plusquamperfectum, aoristum; haec autem proprie nullo modo ita inter se differre, ut eis varia indicata sint tempora actionum, sed ita potius, ut natura actionum eis expressarum sit diversa. In imperfecto enim insita fuit notio actionis diutius durantis, in aoristo brevius absolutae, in plusquamperfecto perfectae.

Geo. Curtius has *διαφορὰς παρεληλυθότος*, si Dionysii voce uti licet, quas non solum in praeterito, sed etiam in praesentibus et futuris temporibus distinguendas esse docet, appellavit species temporum, (quas patria sermone dicimus: Zeitarten) cfr. Erläuterungen pg. 177:

Ita igitur futuris de quo hoc loco non agimus omissis haec verbi tempora disponenda sunt:

	Praesens.	Praeteritum.
actio imperfecta, longius durans	*τίθημι*	*ἐτίθην*
actio perfecta	*τέθεικα*	*ἐτεθείκειν*
actio brevius absoluta	[*θῆμι*]	*ἔθην*

Ad Stoicorum igitur doctrinam nos reversos esse vides; addidimus tantum aoristorum definitionem.

CAPUT II.

DE AUGMENTI VI ATQUE ORIGINE.

Iam cum de earum verbi formarum natura, in quibus augmentum invenitur, satis explicatum sit, nunc quaerendum est, quae in eis augmento attribuenda sit vis. Qua de re disputatio ita instituenda est, ut praesentis et praeteriti formis inter se comparatis perpendamus, quomodo ex formarum discrimine differentia notionis explicanda sit.

Ex praeteritorum autem numero hac in re plusquamperfectum eximatur necesse est, nam aoristus quidem et imperfectum e veterrima linguae aetate servata sunt, plusquamperfectum autem posteriore demum aetate ortum est. (cfr. Bopp. Gram. Comp. II., 533.) Deinde illud cum perfecto non ita conferri potest, ut imperfectum cum praesenti, quia plusquamperfectum generis activi compositum est; e coniunctione enim stirpis reduplicatione auctae cum imperfecto verbi substantivi id ortum esse Boppius l. l. evincit; Curtius assensus est (Tempp. et Modd. pg. 332).

Si inter se comparamus praesentis et praeteriti formas ut *τίθημι* et *ἐτίθην* (vel [*θῆμι*] et *ἔθην*) quibus respondent apud Indos dadhâmi et ádadhâm eos dupliciter inter se discrepare cognoscimus; primum enim in praeteriti forma *ε* syllaba augmentum est additum, tum in fine verbi *ι* littera subtracta. Accedit, quod *μ* littera a Graecis, qui hanc consonam in exitu vocis ferre non poterant, in *ν* mutata est. Eodem fere modo reliquarum personarum formae cuiusque praesentis et cuiusque praeteriti inter se differunt, atque ita quidem ut praesentis formae et augmento careant et in universum plenioribus terminationibus instructae sint, praeteriti autem augmento sint aucta et obtusioribus terminationibus utantur. Hi duo autem terminationum ordines, quos Buttmannus

primus distinxit (Gramm. graec. ampl. §. 87) in singulis verbi Graeci formis, quippe quae tempore procedente mutilatae sint, nonnunquam accuratius discerni non possunt; proprie autem eo quo dixi modo inter se differebant. Hoc vero ordinum discrimen ita ortum esse Boppius contendit, ut in praeteriti formis propter syllabam ante verbum positam (i. e. augmentum) pondus terminationum aliquomodo imminutum esset. Quae coniectura tantam veri speciem prae se fert ut nemo eam impugnaverit: nec de hac re dubitari posse arbitror. [9]) Ergo ita praeteritum e praesentis forma fictum esse apparet, ut verbo augmentum additum sit. Ex hoc consequitur augmento solo indicari actionem verbo expressam esse praeteritam. Etiam hoc Boppius primus intellexit; omnes autem fere eum secuti sunt. Ille hanc de augmenti vi coniecturam eo confirmavit, quod quemadmodum factum essetut illa syllaba ε hanc vim esset consecuta, demonstravit.

Nunc igitur ad quaestionem de augmenti ortu habendam delati sumus, quam cum satis incerta sit tantum attingemus. Priusquam autem ad Boppii sententiam exponendam accedere possimus, dicendum est de eorum coniecturis, qui ante eum augmenti originem indagaverunt.

Etiam veteres hanc rem non neglexerunt; in Etymol. Magno enim nomine non addito grammatici alicuius sententia nobis servata est, quae quamquam non recta, tamen sagaciter excogitata est. p. 820. s. v. ὦγον (ed. Gaisford.) legimus: *ἄξιον δὲ ζητῆσαι διὰ τί πάντοτε μεγεθύνεται ὁ παρατατικός; καὶ ἔστιν εἰπεῖν ὅτι ἐπειδή ὁ παρατατικὸς πλέων κατὰ τὴν σημασίαν τοῦ ἐνεστῶτος· (ὁ γὰρ ἐνεστὼς ἀκαριαῖός ἐστι καὶ ἅμα τῷ λέγεσθαι ἔχει καὶ τὸ εἶναι· ὁ δὲ παρατατικὸς παρατεταμένην ἔχει τὴν σημασίαν). τούτου χάριν ὡς πλεονεκτῶν κατὰ τὴν σημασίαν πλεονεκτεῖ τὴν ἀρχήν.* Hoc subtiliter

9) cfr. Bopp. Gramm. Comp. II. p. 488. Curtius quoque assensus est. cfr. Tempp. et Modd. pg. 129 zur Chronologie pg. 34: priore loco hanc rem ita explicat: „die vermehrung am anfange der form hatte eine verkuerzung am ende zur folge.“ De Schleicheri sententia, qui fere unus non assensus est, infra exponam.

quidem sibi finxit ille, sed ut cetera omittam, duo ante omnia ei obicienda sunt, alterum quod neglectis plusquamperfectis et aoristis ex una tantum forma earum, quibus augmentum additur, imperfecto naturam augmento definire voluit, alterum, quod eam huius formae significationem, quam posteriore aetate demum consecuta est, propriam fuisse posuit. Supra (pg. 11) enim demonstravimus praesenti quoque *παρατατικοῦ* notionem insitam fuisse. Itaque illius sententia improbanda est.

Multo propius ad veritatem Philippus Buttmann videtur accedere; is (gramm. gr. ampl. §. 81 adnot) e reduplicatione augmentum natum esse conicit; quod duobus comprobat argumentis, uno quod pro reduplicatione *ε* syllaba saepe perfectis adicitur, altero quod aoristi secundi haud raro apud epicos reduplicatione augmenti loco instructi sunt. Addere fortasse poterat in verbis a littera vocali incipientibus augmenti et reduplicationis formas esse easdem. At ex eo quod in lingua Graeca formae illorum interdum non inter se discrepant, nihil efficitur; nam saepius formae, quae postea nullo modo inter se differunt, priore linguae aetate diversae fuerunt. Atque ex aliis (praesertim Sanscritica) linguis comparatis argumentis certissimis evinci potest, proprie eas dissimillimas fuisse. Qui autem factum sit, ut apud Graecos pro reduplicatione *ε* syllaba perfectis interdum addatur, optime explicat Curtius in element. etymol. ed. alt. pg. 637.[10]) Ille quoque alterum argumentum, quod Buttmannus sumpsit ex aoristorum qui dicuntur reduplicatorum forma, in libro de verbi Graeci et Latini Tempp. et Modd. scripto pg. 153 refellit. Quo loco accuratissime vim illorum aoristorum perscrutatus in eis reduplicationem non augmenti locum obtinere docuit, sed aliam ob causam verbo additam, ita ut omnes possent, quod in nonnullis factum esse videmus,

10) Vestigia veteris discriminis in his verbis etiam in lingua Graeca exstant; e. g. in verbis, quae a *ϱ* littera incipiunt, postea quidem reduplicatio et augmentum non distinguuntur, apud Homerum autem in nonnullis verbis veteres formae servatae sunt, ut *ῥερυπωμένος* ζ 59 et *ἐρράπτομεν* π 379.

etiam augmento instructa esse. Contra id autem, quod Buttmann l. l. dicit: „Schon der umstand, dass beide augmente den praeteriten angehoeren, laesst erwarten, dass sie einerlei ursprungs seien;“ illud proferendum est, quod supra de perfecti natura monuimus, proprie perfectum non esse praeteritum, sed praesens. Accedunt alia, quae contra eius sententiam afferri possunt; cum vero Curtius iam accuratissime ea collegerit (Tempp. et Modd. pg. 125), omnia hic enumerare supersedeo; unum autem commemoro, quod maximi momenti esse existimo. Ex eo enim, quod reduplicatio omnibus verbi modis, quin etiam imperativo communis est, augmentum verbo non additur, nisi indicativo, iam eorum naturas inter se differre effici cogique potest. Itaque ut perfectum a praeteritis, ita reduplicatio ab augmento segreganda est.

Franciscus Bopp duplici modo augmentum oriri potuisse statuit: aut ex α privativo aut e radice pronominis demonstrativi natum esse putat. (Gramm. Comp. II. 417 seqq.)

Ipse quidem α privativum esse augmenti quasi fontem mavult. Recte quidem illud ε (augmentum) Graecorum, cum augmentum in Indorum et veterum Persarum linguis **a** esse videamus, pro vetere α positum esse conclusit; saepissime enim recentius ε respondet antiquiori α. Minus autem probari potest, quod illud ε vel α idem esse voluit atque α privativum. Nam vir doctissimus nisi fallor in eo errat, quod illo α addito indicari opinatur actionem verbo expressam non praesentem esse ideoque praeteritam. Si enim ante verbum particulam negativam anteponimus, non negamus actionem esse praesentem, sed potius actionem omnino aut factam esse aut fieri aut futuram esse. i. e. ipsa negatur actio; ad tempus autem actionis negatio referri non potest. Hoc Curtius (Tempp. et Modd. pg. 128) contra Boppium rectissime monuit.

Nuper autem huius sententiae exstitit defensor Akenius, qui augmentum ab α privativo profectum esse obtinuit, ita autem rem vertit, ut augmento negare diceret actionis veritatem. Dixit enim in libro de verbi Graeci temporibus et modis ann. 1861 edito pg. 46: „Sonach bleibt uns nur die

möglichkeit, die modale bedeutung der sogenannten praeterita als die ursprüngliche aufzustellen, d. h. zur bedeutung der vergangenheit gelangten diese nur dadurch, dass die vergangenheit das erste nicht wirkliche war, wofür die sprache eines ausdrucks bedürftig wurde; ausgesprochen war durch sie immer nur die nichtwirklichkeit." Praeteriti igitur formam ille proprie non temporis ratione a praesenti differre opinatur, sed quod mireris, modi. Non vereor ne multis haec opinio comprobetur. Primum enim omnia fere, quae Curtius l. l. contra Boppium dixit, simul in Akenii opinionem cadunt, neque ullo modo ea refellere ille conatus est.[11]) Deinde ex illa praeteriti notione, quam ille genuinam fuisse opinatur, quomodo vera praeteriti notio evadere potuisset, accuratius erat exponendum; equidem talem transitum nunquam demonstrari posse censeo. Denique eum nemini persuasurum esse puto, illam, quam sexcenties apud Homerum praeteritum habet vim, ab illa esse profectam, quae rarissime in lingua Homerica ei insita est; si quidem veterior ea, quam voluit, vis esset, apud Homerum saepius eam inveniremus.

Pluribus merito altera Boppii de augmenti origine coniectura placuit. ε enim vel α radicem fuisse pronominis demonstrativi ille l. l. ostendit. Haec autem radix eo consilio ante verbum ab Indogermanis positum est, ut in praeteritum tempus ea quasi demonstrarent; atque sic ortum est augmentum. Quemadmodum hoc factum esse possit, optime Curtius (in Tempp. et Modd. pg. 129) explicavit; praeteritum v. c. ἔδων proprie vertendum esse dixit „damals-geben-ich". Praeter alios Henricus Steinthal hanc sententiam accepit et nonnulla addidit, ut hunc pronominis demonstrativi usum melius illustraret.[12]) Atque mihi quidem videtur affirmari posse hanc explicationem, quanquam quia res est incertissima

11) Praecipue contra eius sententiam paucis mutatis id interponendum est, quod Curtius l. l. dicit: so gewiss die vergangenheit nicht gegenwart ist, so unwahrscheinlich ist es, dass die sprache sie als solche bezeichnet.

12) Zur charakteristik der typen des menschl. sprachbaues pg. 285.

prorsus rectam et veram esse asseverare vix ullus audebit, tamen vero proximam esse.

Eius, quod Albertus Hoefer de augmenti origine coniecit in libro, quem inscripsit: Beiträge zur Etymologie und vergleichenden Grammatik I. pg. 388, mentionem facere sufficiat. Ille quidem e Germanorum ga, Indorum sa augmentum ortum esse indicavit. Jam autem ante eum Jacobus Grimm (Gramm. German. IV. 149) et Ferdinandus Becker in libro, qui inscribitur, Organanism der sprache pg. 43. illud ga idem esse atque augmentum censuerunt. Ea autem argumenta, quae Boppius contra eos protulit (Gramm. compar. II. 411) a nullo adhuc refutata sunt atque meo iudicio ita sunt comparata, ut hodie eos errasse nemo harum rerum paullo eruditior negare possit.

Accuratius de Theodori Benfey sententia agendum est, quia huc usque, quantum ego scio, nemo eam impugnavit, complures autem assensi sunt. Ille silentio praeteriens Boppii aliorumque coniecturas veterrimam augmenti formam, ait, â (i. e. a longum) fuisse; hoc â pronominis non usitati casum instrumentalem esse, hunc autem instrumentalem habuisse non propriam sed sociativi vim, vertendum igitur â esse „mit dem." [13]) Deinde sma adverbio Sanscritico et ga praefixo Germanico quibus similem atque illi â vim et usum attribuit, cum augmento comparatis, ut explicet, quomodo his praeteritum indicari possit, addit: „sie bezeichnen demnach die verbalform, die sie nachher bestimmen sollen als ausdruck einer etwa mit einer anderen zugleich vollzogenen handlung, geben ihr also eine relative bedeutung." Paullo post hanc notionem, quam dicit relativam, affirmat genuinam esse praeteriti vim.[14])

13) cfr. Allgemeine monatsschrift für wissenschaft und litteratur 1854. p. 734: skizze des organismus der indogermanischen sprachen, cfr. et eiusdem gramm. Sanscrit. min. pg. 85.

14) Illam imperfecti vim Benfeium hoc loco antiquissimam habuisse opinor — nec enim satis patet, quod voluerit — quam nos vernaculo sermone definimus: Gleichzeitigkeit der vergangenheit.

Mirum est, in quot errores hac in re delapsus sit vir doctissimus. Id potissimum intellegere non possum, quemadmodum illam imperfecti vim, quam demum apud Graecos posterioris aetatis recepit, qua in antiquiore et Indorum et Graecorum lingua caret, proprium fuisse non solum imperfecti, sed etiam omnium praeteritorum statuere potuerit.[15]) Qua in re ad grammatici veteris, de quo supra (pag. 12) est dictum, opinionem reversum esse eum certe miraris, qui in aliis grammaticorum veterum certissima testimonia, quae summa fide sunt digna, prorsus neglegit et contemnit. Deinde nullum exemplum ille protulit, atque nullum in Graeca certe lingua exstare affirmo, quo probetur, pronominis casum unquam hoc modo cum verbo coniunctum esse posse; praesertim in antiquissima lingua hoc minime licuit. Tum perperam cum augmento illud ga Germanicum confert, nam id non solum praeterito, sed etiam praesentium formis vel etiam substantivis saepissime additur. Denique ex illa notione relativa quam ille ita explicat „einer mit einer anderen zugleich vollzogenen handlung" nullo unquam tempore facta esse potest notio actionis ante aliam gestae; hoc vero ad illius sententiam redarguendam maximi momenti esse patet. Tantum dubitari potest, num vetus augmenti forma â fuerit; qua in re Augustus Schleicher Benfeio assensus est (Gram. comp. Compend. pg. 567). Benfey l. l. hac fere argumentatione suam opinionem comprobare conatur: in imperfectis *ἤμελλον*, *ἠδυνάμην*, *ἠβούλομην* *η* augmentum est, (quod respondet sanscritico â); saepissime pleniores autem formae imminuuntur, rarissime tenuiores auctas esse constat; ergo in illis imperfectis *η* non ex *ε* productam, sed in omnibus reliquis verbis, quae *ε* augmento instructa sunt, *ε* ex *η* est correptum. Iam verum eius argumentandi ratio probari non potest: accedit, quod ab antiquiore linguae aetate illae formae ut *ἤμελλον* etc. alienae sunt; apud Homerum enim in tot versibus nunquam,

15) Imperfectum enim hanc vim tum demum consecutum est, cum eius in enuntiationibus secundariis usus ortus erat, de quo supra egimus pg. 18.

apud Hesiodum et Aeschylum rarissime eas invenimus, saepius demum apud Atticos posteriores. Tum quomodo augmentum temporale verborum, quae ab ι vel υ litteris incipiunt, explicari potest, si η genuina augmenti forma est? Ex η enim et ι brevi, η et υ brevi litterarum contractione nunquam ι longum et υ longum fieri potuerunt. Eo magis autem in his formis η ex productione esse factum putare licet, cum in Graecorum lingua mediae et infimae aetatis ε augmentum saepissime in η transire videamus cfr. Mullach gramm. graec. vulg. pg. 248.[16])

Restat, ut pauca de ea ratione dicam, qua Heyse augmentum Graecorum explicandum esse putat; ille dicit (System pg. 457): „Wenn auch das augment auf einen pronominalstamm a (jener, da, damals, überhaupt hinweisung auf etwas entferntes) zurückzuführen sein mag, so war doch diese bedeutung dem griechischen sprachgefühl völlig fremd; das wachsen um eine silbe im anlaute, welche zugleich den ton auf sich zog, hatte nur die symbolische bedeutung des vorrückens in die vergangenheit, nur so erklärt sich das temporale augment.“ Quomodo haec intellegi voluerit, ita solum accurate exponi potest, ut fusius dicatur de tota viri ingeniosissimi doctrina, qui sonos esse notionum symbola putat. Ei quidem, qui illam ignorat, satis mira haec dicta videantur; nam qui verbum, cui syllaba anteponitur, eo praeteriti notionem recipiat, non patet. Quod illo loco contra Boppium dixit, augmentum temporale si eius sententiam sequamur explicari non posse, Curtius optime ita redarguit, ut explicaret augmenti temporalis formam (cfr. Erläuterungen pg. 92).

Sed satis iam verborum de hac re nimis incerta; libenter quidem concedo et nonnulla esse quae contra illam opinionem, quam secutus sum, proferri possint et excogitari posse alias rationes, quibus augmentum oriri potuerit. De illa re, quae statui, prorsus certa esse non contendam, dummodo id mihi detur, ut augmentum demonstraverim non

16) Illud argumentum quod ex Indorum augmenti temporalis forma Benfey sumpsit ad comprobandam suam sententiam in Gramm. Sanscr. min. l. l., refellit Bopp Gr. Comp. II, 413.

esse supervacaneum quoddam additamentum, sed maxime ad praeteriti vim necessarium. Atque de hac re minime dubitari posse puto; et iam de ea omnes fere recentiores consentiunt.[17]) Quid igitur? nonne hac de causa Hermanno concedendum est, non esse augmentum in eas res referendum, quae prouti commodum videretur nunc usurpari nunc neglegi solita fuerint? Equidem aio, atque plerosque eius sententiam accepturos esse arbitror. Haud paucos autem contra Hermannum id interposituros esse bene scio, ut pro metri commoditate Homerum augmentum omisisse dicant. Itaque priusquam transeam ad explicandam sententiam meam, de horum opinione accuratius mihi disserendum est.

CAPUT III.

QUAERITUR NUM METRI CAUSA HOMERUM AUGMENTUM OMISISSE PONI POSSIT.

Omnes qui augmentum metri causa a poeta omissum esse volunt, in eo peccare solent, quod non satis secernunt, quae, cum metro essent non apta, poeta si eis uti voluit, utique mutanda erant, ab eis, quae metro quidem non adversantur, sed eo consilio variata esse videntur, ut paullo elegantiores ita eis efficerentur versus. Atqui haec mutationum genera multum inter se differunt, nam quae metro utique repugnant, eo paullo liberius et violentius commutari posse concedimus, de eis autem, quae metro minime adversantur, alia ratione iudicandum esse nemo negabit. Ita igitur contra hos agendum esse putavi, ut illa duo genera semper distinguerem.

17) Ex illorum numero quodammodo Augustus Schleicher eximendus est, quem in Gramm. Comp. Compend. pg. 584 n paulo diversam sententiam secutum esse apparet; de qua infra dicendi locus erit.

Quod ad primum attinet, nonnulla quidem praeterita augmento instructa ut ἔλαβε, ἔβαλε, ἐβάλετο, ἔγενετο per se in hexametris usurpari non possunt. Hoc rectissime illi quidem protulerunt; sed ex hac re non conficitur ut augmentum in eis abici oportuerit. Homerus enim, quemadmodum eiusmodi formas metro aptiores fecerit, ex formis ut ἠνορέη, ἠνεμόεις et aliis (cfr. Krueger dial. graec. §. 2, 2, 2,) cognoscere possumus, in quibus primam syllabam metri causa productam esse apparet. Sed, dixerit quispiam, Homerus eodem iure primam syllabam omittere potuit; quod saepius factum esse videmus, nam ex ἄσταχυς fit στάχυς, ex ἀστεροπή στεροπή, ex ἀσταφίς σταφίς etc. cfr. Krueger dial. gr. § 8, 2, 2. De hac autem re, quanquam illa in Kruegeri grammatica retinentur, viri docti non amplius dissentiunt: a Lobeckio enim (Patholog. elem. I, 40) et a Curtio (Etymol. elem. ed. alt. pg. 520) argumentis nihil dubii relinquentibus demonstratum est, in illis prothesi seu ut Lobeckius mavult prosthesi a vel aliam vocalem verbo esse additam ideoque breviorem formam non iuniorem, sed antiquiorem. His autem exemplis refutatis nulla relicta sunt, quibus effici possit unquam syllabam verbi primam ab Homero metri causa recisam esse. Accedit, quod primam syllabam in ullo vocabulo sine idonea ratione omitti non posse ex ipsa rei natura sequi videtur. Nempe si in ἀθάνατος qua voce ut proceleusmatico proprie poeta in versu hexametro uti non potuit, α primum deiectum esse metri causa videres, certe mirareris; eodem autem modo mirandum esset, si in ἐτύπτομεν, ἐτύπτετε etc. illud ε poeta metri causa omisisset. De hoc mutationum genere igitur, si augmenti omissionem spectamus, cogitare non licet; poetae enim in illis formis supra allatis littera ε in η producenda erat, eam autem omittere non erat licitum.

In lingua Attica plusquamperfectum saepe augmento non instructum esse haud ignoro. Hoc autem eodem modo explicandum est, quo augmentum duplex, augmentum ante praepositionem positum, augmentum η, quo verba δύναμαι, βούλομαι, μέλλω utuntur, quae cuncta in Homerica dialecto non

inveniuntur; Attici autem ea ferebant, quia minus augmenti vim perspiciebant. Accedit quod poetae tragici rarissime plusquamperfecti formis augmento orbatis utuntur et quod apud prosaicos veteriores ut apud Thucydidem lectio fere semper incerta est. (Krueger gr. graec. 28, 11). Denique Graecos posterioris aetatis, cum propriam augmenti vim ignorarent, atque non satis augmentum et reduplicationem discernerent, augmentum plusquamperfecti omisisse, quia reduplicationi augmentum addere noluerint, haud absonum est sumere. Itaque de hac augmenti abiectione prorsus alia ratione indicandum est, ac de augmento apud Homerum omisso.

Itaque tenendum est, si poeta metri causa augmentum abiecerit, non necessitate coactum, sed ad arbitrium illud fecisse putandum est. At num quod sibi non permisit, ubi excusationem quasi necessitatis habebat, id eum temere sibi indulsisse opinaris, ubi nequaquam metrum postulabat? Meo quidem iudicio hoc minime Homero dignum fuisset atque cum Karolo Friderico Ameis consentio, qui acerbius sed rectissime de eis dicit, qui statuant de eiusmodi rebus: „das metrum bestimmend oder das metrum entscheidend, die scheinen den dichterfürsten zu einem verse machenden dichterling herabzusetzen." Illud quidem concedendum est, in nonnullis vocabulis, quae metro repugnant, syllabam a poeta productam vel metathesin litterarum effectam esse vel alia similia; nunquam autem tam atrociter mutilavit verba, ut *βῆ* ex *ἔβη*, *στῆ* ex *ἔστη*, *φάτο* ex *ἔφατο*, *ἴδεν* ex *εἶδεν* eum fecisse credere possimus. Accedit, quod in multis formis, ut in *ἔβη*, *ἔφατο*, *ἔστη* ea vocis syllaba detracta esset, quam accentus tuetur; quod vix exemplis e Graeca lingua sumptis ita illustrari potest ut de hac re permira nullum dubium relinquatur.[18]) Maximi autem momenti id esse puto, ut vel concesso rem se

18) Hac in re quod a Georgii Curtii viri ante omnes reverendi sententia recedere cogor, quam maxime doleo. Sed ea, quae ille in Kuhn. annal. X. 334 exposuit, ut syllabas quas accentus tuetur, omitti posse demonstraret, Corssen refutasse mihi videtur (kritische Beiträge zur lateinischen formenlehre, pg. 580 cfr. etiam aussprache II, 160 seqq).

ita habere, ut illi volunt, saepissime nulla causa augmenti abiecti perspici potest. cfr. Krueger dial. gr. §. 28, 2, 1; ut reliqua praetermittam, cur eiusmodi verba ut ἄχνυμι, ἅ ομαι, ἔρδω augmento semper careant, sic nullo modo explicari potest. Ea enim utrum augmento sint instructa, nec ne, ad metrum nihil attinet.[19]) Fuerunt, qui hac in re euphoniam quandam poetam respexisse putarent; quibus illud unum obiciam, quod iam Hermannus perspexit, augmentum non esse in eis rebus numerandum, quae ad arbitrium nunc adiciantur, nunc omittantur. Atque nunquam neglegendum est, de antiquiore lingua, hic agi in qua veterem significationem plurima retinuisse censeamus necesse est. Itaque syllabam, qua addita significatio verbis non mediocriter mutatur, euphoniae causa omissam esse parum verisimile est.

Huic disputationi quaestionem de Augusti Schleicher sententia adiungimus. Qui cum augmentum metri causa modo adici modo detrahi neutiquam statui posse intellexisset, alio modo augmenti omissionem explicare conatus est. In gramm. comp. compend. pg. 584, ubi de aoristi secundi forma disserit, dicit: „Die wurzel, welche etc., wird mit den secundären personalendungen versehen, ein casus des pronominalstammes a (demonstrativ), der auf die vergangenheit hinweist, tritt adverbiell vor dieselbe, und schmolz vielleicht schon vor der sprachtrennung an dieselbe an das sogenannte augment; dies element kann jedoch stets auch fehlen." Hoc si ita se haberet, non esset, cur causam augmenti omissi quaereremus. Atque per se hanc opinionem verisimilem esse negari non

19) Imm. Bekkerus, cum augmentum ad arbitrium a poeta nunc additum nunc omissum esse opinaretur, non dubitavit, ut versus efficerentur suo iudicio elegentiores, contra codicum auctoritatem permulta augmenta recidere nonnulla addere. Rectissime autem Lehrsium hac in re eum impugnavisse arbitror (de Aristarchi stud. Homer. ed. alt. Epimetr. p. 414) cfr. etiam, quae W. Kaiser contra Bekkerum protulit in Philol. XVIII, pg. 677. — Accuratius de tota re Grasshoffius egit in libello, quem inscripsit: „Zur kritik des homerischen textes in bezug auf die abwerfung des augments. Düsseldorf. progr. 1851; quem quod inspicere mihi non licuit, doleo.

potest. Sed tum quaestio oritur, qui discrimen terminationum illud, de quo supra egimus, natum et qui factum sit, ut praesens plenioribus, imperfectum obtusioribus instructa sint. Schleicherus hoc non explicat, nec ullo modo explicari potest, nisi ita, ut Boppius vult. Iam si quando augmentum ita cum verbo coniunctum erat, ut eius vi terminationes imminuerentur, eodem tempore augmentum etiam non adhibere licitum fuisse nemo opinor erit, qui statuat. Schleicherus igitur non propter augmentum verbo additum terminationes imminutas esse, sed alio modo terminationes obtusiores ortas esse sumat oportet. Cum autem causa, ob quam ortae sint, neque adsit neque inveniri possit, augmentum revera causam illam fuisse nobis censendum est. Sequitur igitur Schleicheri opinionem de augmenti omissione improbandam esse.

Iam vero cum satis me refellisse arbitrer, quae de augmento omisso hic docet, atque quae illi, exponam, quae mihi de hac re statuenda esse videantur.

II.

CAPUT IV.

DE AUGMENTI IN ORATIONIBUS USU.

Postquam quae praefanda esse videbantur, exposuimus, ad propositum ipsum accedimus. Cum vero omnis disputatio mea de augmento omisso instituta ex eis pendeat, quae supra demonstrare conatus sum, paucis illa hoc loco complecti non alienum esse arbitror. Tria potissimum sunt quae ut confirmarem enisus sum:

primum augmento indicari actionem verbo expressam esse praeteritam.

deinde augmentum sine idonea ratione abici non potuisse.

denique non metri causa addi aut omitti solere.

Quae si recte se habent, ex eis augmenti abiectionem in Homerica quoque lingua exstare rationem concludendum est. Idcirco id nunc agendum quemadmodum illa ratio possit reperiri. Qua in re maxime num fortasse e magna verborum multitudine pars secerni possit, inquirendum esse ratus, postquam multis modis frustra ea dividere tentavi, tandem aliquando res mihi bene successit. Ita enim omnino seiungendum esse intellexi, ut inter orationes illas quas poeta narrationi inserit, et narrationem ipsam distingueretur. Hoc quanquam primo quidem aspectu mirum esse opinabar, tamen cum rem saepius animo reputavissem, ab ea non destiti, atque contigit mihi, ut aliquid reperirem, quod usque adhuc grammaticos latuit. Quae observaverim, nunc ostendam et ita quidem, ut primum de augmento in orationibus omisso

exponam. Eo autem consilio de hac re ago, ut augmentum ad arbitrium modo omittere modo addere poetae non licitum fuisse sed certas leges quasdam eum observasse demonstrem. Qua ratione autem hae leges explicandae sint, quaerere hoc loco praetermitto.[20])

Quo quidem iure cum de hac re agatur, inter orationum et narrationis verba distinguendum esse dicam, e tabula infra apposita elucebit. In ea ex octo libris et e quattuor librorum partibus et Iliadis et Odysseae ita enumeravi verba, ut dupliciter illa dividerem, tum prouti in orationibus et narratione inveniuntur, tum pro variis eorum temporibus. Tempora autem praeterita ita divisi, ut quae augmento instructa sunt et quae eo carent, discernerem, sub litt. A. illa invenis, quae in orationibus, sub litt. B., quae leguntur in narratione.[21])

A. verba quae in orationibus inveniuntur.

	I.			II. praett. augm. instructa.			III. praett. augmento orbata.		
	Praesent.	Futura.	Perfecta.	Aorist.	Imperfect.	Plusquamperf.	Aorist.	Imperfect.	Plusquamperf.
A υ 1—246	47	23	8	21	0	0	3	0	0
Λ 1—335	7	7	2	3	0	0	0	0	0
Μ	30	8	7	8	2	2	0	0	0
Ν	80	15	12	24	3	0	7	3	1
Ο	68	30	17	36	6	0	13	6	0
Ψ	82	55	16	40	11	0	7	8	3
β	86	45	13	22	13	1	6	9	0
γ 329—497	8	4	3	4	2	0	0	0	0
ε	57	20	11	29	8	3	9	5	0
λ 1—327	34	11	9	25	0	0	5	1	0
σ	84	21	7	20	10	0	2	2	2
υ	59	12	24	23	12	1	8	4	0

20) Annotare non omitto, in veterrimis carminibus Indicis quoque augmentum verborum saepissime omissum esse. Atque Indorum grammatici semper praeteritum augmento instructum et praeteritum eo orbatum segregant; sed sicuti in ceteris, ita in hac re nihil illi de formarum significatione docent.

21) F. A. Wolfii recensionem alteram secutus sum.

B. verba, quae in narratione inveniuntur.

	I.			II. praett. augm. instructa.			III. praett. augmento orbata.		
	Praesent.	Futura.	Perfecta.	Aorist.	Imperfect.	Plusquamperf.	Aorist.	Imperfect.	Plusquamperf.
Α 1—246	0	0	0	22	17	1	24	16	2
Δ 1—335	11	0	0	44	37	5	72	69	3
Μ	18	0	2	42	40	3	73	79	17
Ν	13	0	1	111	78	5	122	132	21
Ο	21	1	0	91	73	2	118	96	10
Ψ	11	0	0	135	84	4	160	151	9
β	1	0	0	38	33	2	50	39	2
γ 329—497	1	0	0	30	20	0	39	31	1
ε	17	2	2	61	31	2	97	65	9
λ 1—327	6	0	3	36	33	1	40	45	2
σ	1	0	0	34	54	0	47	49	3
υ	3	3	1	43	41	2	27	55	3

Qui accuratius hanc tabulam perlustaverit, eum non fugiet, inter verba orationum et narrationis recte me distinxisse; eorum tempora enim ita inter se differre apparet, ut in orationibus praesentia, perfecta, futura (Nr. I.) et praeterita, quae augmento instructa sunt (Nr. II.), numero cetera multo exsuperent, in narratione contra praeterita et quae augmento utuntur (Nr. II.) et quae eo carent (Nr. III.)[22]) In orationibus enim ex 1455 verbis tantum centum quattuor praeterita augmento non instructa sunt (Nr. III.), in narratione ex 3150 verbis centum undeviginti praesentia, futura, perfecta (Nr. I.)[23])

Deinde inspectio huius tabulae docet, aliquod saltem discrimen inter usum praeteriti augmento instructi et non

22) Quo iure Imperfecta, Plusquamperfecta, Aoristos communi praeteritorum nomine comprehendam, neque amplius inter ea accuratius distinguam, supra demonstravisse mihi videor.

23) Quibus conditionibus praesentia et perfecta in narratione usurpata essent, iam Ludovicus Friedländer accuratissime demonstravit. (Philol. VI.)

instructi intercedere, nam hoc in narrationibus saepissime, in orationibus multo rarius invenitur. Haec res non ita explicari potest, ut cum in orationibus rarior praeteriti temporis usus sit, in eis rariorem simul augmenti omittendi opportunitatem fuisse statuamus. Nam

in narratione 1254 { praeterita augmento instructa et 1778 eo non aucta

in orationibus illis 329 augmento aucta et 104 non aucta

invenimus; illorum numerus ad horum rationem fere habet

in narratione ut 7 ad 10

in oratione ut 7 ad 2.

Quamquam ex hac re certius nihil concludi posse apparuit, tamen cum primum hoc observavi, ad spem erectus sum, fore ut illis locis ubi in orationibus augmentum abiectum est, comparatis, regulam quandam a poeta servatam esse perspicerem; nec spes me fefellit.

Accuratius quidem rem inquirens in nonnullis orationum locis multitudinem praeteritorum augmento orbatorum inveniri primum observavi. Quae cum compararem, in hoc inter se consentire vidi, ut ab illo, qui loquitur, ibi aliquid fusius narraretur, quod minus ad eam, de qua agebatur, rem pertineret. Itaque his locis narratiuncula orationi inserta est. Priusquam autem transeam ad ea, quae ex his concludenda sunt, exempla afferam nonnulla.

In illa Nestoris contione, quae incipit a versu 254 libr. A., postquam in tot Achillis, Agamemnonis, Calchantis aliorumque orationibus tria tantum praeterita invenimus augmento non instructa, in his quattuordecim versibus decem exempla augmenti omissi reperimus. Hoc loco autem Nestor Achilli et Agamemnoni, quos ut sequantur consilium suum commovere vult, iam prius alios heroes eosque praeclariores suo consilio usos esse narrat.

Deinde in libro secundo Ulixes longa oratione Achivos admonet, ne se Troiam expugnaturos esse desperent, neu in patriam redire velint; atque eos ad spem excitaturus porten-

tum illud, quod anteaquam Troiam decesserant in Graecia erant emirati, in memoriam eorum revocat: in eius de portento narratione (B. 303—322) decem praeterita augmento non instructa leguntur.

In tertio carmine (v. 205—224) Antenor Helenae et Priamo, quibuscum de muro Iliaco in campum despicit, de Ulixis et Menelai legatione narrat, laudatque illius eloquentiam et facundiam. Octies hoc loco poeta omisit augmentum.

In libro quarto (v. 372—400) Agamemnon, cum Diomedem segnius in aciem prodire animadverteret, eum graviter increpans refert, quam egregia facinora Tydeus eius pater perfecerit. In illis versibus, quibus narratio continetur duodecim augmenti abiecti exempla invenimus.

In libro, qui sequitur, (v. 383—404) Dione, cum Venus filia a Diomede hasta se vulneratam esse conquesta sit, ut ei solatium quoddam praebeat, narrat, quae alii dei sint perpessi ab hominibus. Decem ibi formae inveniuntur, quae augmento carent.

E sexto libro duos afferam locos, alteram e Diomedis, alteram e Glauci oratione sumptos. Diomedes ubi in Glaucum incidit, quem antea in proelio non viderat, si deus sit, cum eo pugnare se nolle dicit, causam addens hanc (130—140):

οὐδὲ γὰρ οὐδὲ Δρύαντος υἱὸς κρατερὸς Λυκόοργος
δὴν ἦν ὅς ῥα θεοῖσιν ἐπουρανίοισιν ἔριζεν.

Sequitur narratio de Lycurgi scelere, in qua quinque praeterita augmento non instructa invenimus.

Glaucus autem occasione maiores suos laudandi satis commoda et idonea oblata ex more heroum Homericorum ita illi respondet, ut, ex quibus genus ducat, paucis exponat, multis autem laudibus Bellerophontem proavum praedicet. In verss. 153—195 de rebus ab eo gestis fusius refert. Leguntur autem in eis viginti septem praeterita, quae augmento carent.

In libro qui sequitur, Nestor sua ipsius facinora laudibus effert: in vv. 133—156, quibus narratio eius de victoria ex Ereuthalione lata continetur, decies sexies augmentum abiectum est.

E carmine nono duos locos selegi, qui in Phoenicis oratione inveniuntur.

I. 447—487, ubi senex ille garrulus, quam ob rem a patre domo sit exactus

et I. 529 — 599 ubi quemadmodum Meleager in bello Curetum et Aetolum se gesserit, exponit. In illis versibus viginti, praeterita, in his viginti tria augmento non sunt instructa.

In undecimo libro illa longa Nestoris oratio disertum testimonium praebet: in eam ille rerum ab ipso gestarum narrationem inserit, Λ 671 — 761; in his versibus quadragies Homerus augmentum neglexit.

Postremo e libro quarto decimo offeram versus 114—124, quibus Diomedes Tydei patris virtutem praedicat et 250—261 ubi Somnus Iunoni in memoriam revocat, iam pridem Iovi se poenas solvisse; in utroque loco septena praeterita augmento carent.

Horum numerus facile multis augeri potuit, sed iam vereor, ne quod de hac re latius et diffusius egerim vitio mihi vertatur. Demonstravisse autem mihi videor, omnibus his locis, quibus saepius in orationibus augmentum videmus abiectum esse, narrationem quandam in eas insertam esse. Nunc etiam patet, qua ratione illos libros selegerim, quorum verba in illa tabula disposui; sane ei erant omittendi, quorum orationibus longiores eiusmodi narrationes insertae sunt.

Iam si comparamus, quoties in illorum librorum orationibus cunctis detractum sit augmentum et quoties in eis orationum particulis, de quibus modo egimus, fere duplicem numerum praeteritorum augmento non instructorum in his inveniri cognoscimus, in illis enim cunctis tot librorum orationibus circa centum, in his quanquam quadraginta decem tantum versus sunt, fere ducenta praeterita augmento orbata inveniuntur. Hoc casu factum esse quis dicat? Sed ne cui in mentem veniat, augmentum in his narrationibus ob eam causam saepius omissum esse, quia multo maior in eis praeteriti usus fuerit, nunc affero, quae ratio intercedat inter praeterita eorum

augmento non orbata; sunt vero in his quadringentis decem versibus centum sexaginta, in orationibus illorum librorum trecenta undetriginta.

Illis exemplis iam ut opinor demonstratum est, eis locis ubi multa praeterita sese excipientia, quae augmento carent, in orationibus inveniuntur narrationem quandam orationi insertam esse. Sed etiam ubi pauca praeterita, quae augmento non instructa sunt, in orationibus leguntur fere semper narrationem in oratione in esse animadvertimus. Afferam ex eis libris, quorum verba subra disposita sunt, nonnulla exempla.

Quinque praeterita augmento orbata in versibus O. 18—30 inveniuntur. [24])

18 ἦ οὐ μέμνῃ, ὅτε τἐκρέμω ὑψόθεν, ἐκ δὲ ποδοῖιν
ἄκμονας ἧκα δυώ περὶ χερσὶ δὲ δεσμὸν ἴηλα
χρύσεον, ἄῤῥηκτον; σὺ δ' ἐν αἰθέρι καὶ νεφέλῃσιν
ἐκρέμω· ἠλάστεον δὲ θεοὶ κατὰ μάκρον Ὄλυμπον
λῦσαι δ'οὐκ ἐδύναντο παραστάδόν· ὃν δὲ λάβοιμι
ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ ὄφρ' ἄν ἵκηται
γῆν ὀλιγηπελέων ἐμὲ δ'οὐδ' ὧς θυμὸν ἀνίῃ.
ἀζηχὴς ὀδύνη Ἡρακλῆος θείοιο
τὸν σὺ ξὺν Βορέῃ ἀνέμῳ πεπιθοῦσα θύελλας
πέμψας ἐπ' ἀτρύγετον πόντον· κακὰ μητιόωσα
καί μιν ἔπειτα Κόωνδ' εὐναιομένην ἀπένεικας
τὸν μὲν ἐγὼν ἔνθεν ῥυσάμην καὶ ἀνήγαγον αὖτις
Ἄργος ἐς ἱππόβοτον καὶ πολλά περ ἀθλήσαντα.

Iovem vides hoc loco coniugi in memoriam revocare, quas poenas ab ea ob insidias Herculi paratas repetierit.

In Idomenei oratione N 446.

446 Δηίφοβ', ἦ ἄρα δή τι είσκομεν ἄξιον εἶναι
τρεῖς ἑνὸς ἀντὶ πέφασθαι; ἐπεὶ σύπερ εὔχεαι οὕτως
δαιμόνι'· ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐνάντιος ἵστασ' ἐμεῖο
ὄφρα ἴδῃς οἷος Ζηνὸς γόνος ἐνθάδ' ἱκάνω.

---

24) Ad numerum eorum adiciendum est κρέμω quod ex Bentleii coniectura in vers. 18 scribendum est. (τε κρέμω.)

450 ὅς πρῶτον Μίνωα τέκεν, Κρήτῃ ἐπίουρον·
Μίνως δ'αὖ τέκεθ' υἱὸν ἀμύμονα Δευκαλίωνα
Δευκαλίον δ'ἐμὲ τίκτε πολέσσ' ἄνδρεσσιν ἄνακτα
Κρήτῃ ἐν εὐρείῃ· νῦν δ'ἔνθαδε νῆες ἔνεικαι
σοί τε κακὸν καὶ πατρὶ καὶ ἄλλοισιν Τρώεσσιν.

quater augmentum poeta omisit; atque perspicuum est proximis quinque versibus narrationem quandam contineri.

In Odysseae carmine secundo Antinoi oratio exemplum aptum praebet; ille irridens Telemachum, qui de procis in Ithacensium contione questus erat, Penelopen incusat, quia illa arteficiis et falsis promissionibus procos decipiat; hoc ita probare vult, ut de eius dolo quodam verba faciat:

393 ἡ δὲ δόλον τόνδ' ἄλλον ἐνὶ φρέσι μερμήριξεν·
στησαμένη μέγαν ἱστὸν ἐνὶ μεγάροισιν ὕφαινεν·
λεπτὸν καὶ περίμετρον· ἄφαρ δ' ἡμῖν μετέειπεν.

* * *

103 ὥς ἔφατ'· ἡμῖν δ' αὖτ' ἐπεπείθετο θυμὸς ἀγήνωρ
ἔνθα καὶ ἠματίη μὲν ὑφαίνεσκεν μέγαν ἱστόν·
νύκτας δ' ἀλλύεσκεν κτλ.

In his sex versibus quattuor praeterita augmenta non instructa reperimus.

In libro quinto Mercurius ad Calypsonem ab Iove missus in brevi oratione fata narrat Graecorum, quae Troia revertentes perpessi sunt. (ε 106—111) hic ter augmentum est abiectum.

Denique vicesimi carminis locum afferam v. 66—75, ubi Penelope de Pandarei filiabus narrat: quinque autem augmenti omissi exempla ibi reperiuntur.

Itaque his quoque locis semper in orationem narrationem insertam esse ex eis, quae apposui exemplis — quorum numerum facillime augere licet — cognosci potest. Sed cum in omnibus his complura praeterita coniuncta, quae se excipiunt, inveniantur, non patet, qui fieri potuerit, ut haud raro in orationibus singula inveniantur praeterita, quae augmento carent; ibi enim narrationem orationibus interpositam esse apparet statui non posse. Sed his lex nostra non tollitur;

nam cum omnino regulae quae non admittant exceptiones, constitui non possint, hoc in Homerica lingua — ex omnibus maxime versatili — minime fieri potest. Accedit, quod numerum locorum, qui huic regulae adversantur, facillimis mutationibus multis deminuere possumus; saepissime enim sine metri dispendio augmentum adicere licet; codicum autem auctoritas in eiusmodi rebus parvi aestimanda est, quia librarios eas parum curavisse constat. Recte igitur augmenti abiectionem, proprie ab orationibus, nisi narrationes eis sunt insertae, alienam esse contendere possumus.

VITA.

Ego, Konradus Koch, natus sum Brunsvici anno huius saeculi quadragesimo sexto Id. Febr., Konrado et Luisa parentibus. Cum per octennium obiissem patriae urbis gymnasium, quod tum G. T. A. Kruegero rectore florebat, maturitatis testimonio instructus in academiam me contuli anno h. s. sexagesimo quarto. Per ter sex menses Gottingae, deinde per sex Berolini, denique per ter sex Lipsiae philologiae studiis me dedidi. Docuerunt me per hoc tempus Curtius, Leo Meyer, Peip, Sauppe, Stern Gottingenses, Boekh, Haupt, Kirchhoff, Trendelenburg Berolinenses, Curtius, Eckstein, Ritschl, Zarncke, Ziller Lipsienses. Exercitationibus interfui Ritschelii philologicis. Quibus viris gratias ago maximas; imprimis vero Sauppium Gottingensem, Curtium, Eccksteinium, Ritschelium Lipsienses sempiterna recordatione colam.